

## §. V.

Itaque vi absoluti decreti illudunt hi Auditoribus, quando eos omnes & singulos ad conversionem adhortantur; dum sciunt, non posse se ulli ex istis in individuo citra formidinem oppositi dicere: Deus, quantum in se est, vult te salvari, Christus morte sua salutem tibi acquisivit, ac Deus vult adeo vires credendi & pie vivendi tibi concedere. Nemo etiam, qui ad Doctorem hujusmodi, quem alias doctrinam de absoluto decreto profiteri novit, audiendum accedit, aliter ex perspecta absoluti decreti natura colligere poterit, quam non nisi illusorium esse hoc de salute consequenda doctrinae genus, quo ipse & ceteri, qui illi aures prebent, miserrime traducantur.

## §. VI.

Neque hominum philantia, per quam quilibet quam optime sibi ipse cupit, id non pati dici potest, ut quis ex eorum, quibus gratia conversionis destinata est, se excludat numero; quoniam nemo qui mentis non plane expertus est, bonum aliquod sibi ita cupit, ut statim, dum id cupit, etiam bonum suum esse judicet, nisi fieri posse, ut bonum illud adipiscatur. intellectus ipsi prius monstraverit. Stultissime igitur quispiam sibi persuaserit, Deum velle ut ipse convertatur, quando audit, de quibusdam tantum, sed in individuo non expressis, Deum absolute hoc velle ut ipsi convertantur, Quod si omnia individua humana Deum, quantum in se est, velle ut convertantur, percipit, non philantia, sed á Conditore humanæ menti insita ratiocinandi vis, ut nec se ex horum numero eximat, jubet; quemadmodum eadem, ut sub particulari propositione de se subsumat, prohibet.

## §. VII.

Quare & absolutum decretum, non obstante illa praxi, naturam

ram